



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Vtî amans anima odore diuini altaris, hoc est, deifici amorosissimiq[ue]  
diuini cordis suavitate attracta, cuncta mutabilia transcendere, ibiq[ue]  
suam requiem constituere desideret. Cap. XXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

*Vti amans anima Deo satiari, in illumque transformari desideret.*

## CAPVT XXVI.

**C**omedam te & delicatissime ciborum omnium, vita mea, & dulcedo mea sancta, Deus meus: nec tu mutaberis in me, sicut cibus carnis meae, sed ego mutabor in te. Mutabor inquam in te, vt tota transiens in te incommutabilem, iam vltra nullam commutationem recipiam, post illam felicissimam mutationem, cum mea ignominia in tuam gloriam, mea paupertas in tuas diuitias, mea fragilitas in tuam potentiam, meus labor in tuas delicias, mea esuries & sitis in tuam satietatem, mea intemperies in tuam temperantiam, mea mortalitas in tuam vitam commutabitur: vitamque iam non ego, viues verò tu in me vita deliciofa, vita sempiterna sponse meus, honor meus, thesaurus meus, fortitudo mea, voluptas mea, satietas mea, salus mea, vita mea, rex meus & Deus meus: eroty de tua bonitate bona, de tua prudentia prudens, de tua simplicitate simplex, de tua serenitate serena, de tua diuinitate diuina, de te ero tu, quia tecum secundum petitionem tuam in vnum consumata, vnum ero in te & tecum, sicut in Patre tuo tu es vnum, ita vt hanc vnitatem acquiram per gratiam, quam tu habes per naturam.

Ad hoc enim, sponse benignissime, mox humanitatis factus es particeps, vt me tua diuinitatis faceres esse participem. Ad hoc in mea carne mihi vnitus es, vt me tuo spiritui vnires, & fierem vnus spiritus tecum, omni carnalitatis molestia deposita, & ad similitudinem tuam spiritali lenitate assumpta, vt quicquid bonum est, velim in te, quicquid voluero, prosum per te, quicquid voluero, sciam abs te.

Illuminabit me lux tua lucidissima, vt non tam illuminata videar, quam lumen docebit me vox tua facundissima abscondita, ab initio mihi eruens: satiabis me de te ipso tu ipse, & voluptas mea, sancta suauitate mirifica, plena perfruitione tua, vt cum Angelis tuis pleno te ore manducans, non esuriam, neque sitiam in aeternum: inflammabit me ardentissima charitas tua, vt tota in quendam diuinum ignem conuersa, non timeam à frigoribus niuis, ad quam transibunt damnati à calore nimio. Ero enim sicut & alij domestici tui, vestita duplicibus igne scilicet duplicis charitatis accensa.

*Vti amans anima odore diuini altaris hoc est, deifici amorosissimiq;  
diuini cordis suauitate attracta, cuncta mutabilia transcen-  
dere, ibiq; suam requiem constituere  
desideret.*

## CAPVT XXVII.

**O**dor vnguentorum tuorum fragrans & Domine super omnia aromata, nares meas iam ab omni carnali & mundana concupiscentia expurgatas, delectationis tuae suauitas mulcebit, & sua delictabili violentia trahet me post te, trahet me ad te, trahet me in te: ita vt omni corruptibili grauitate reiecta eam post te, curram ad te, volem in te, nidumque faciens in altari cordis tui, ibi reponam pullos meos, opera mea, verba mea, cogitatus meos, quos illuc iactabo in te, & tu enutries eos.

Mmm z Ibi;



Ibi, hoc est, in altari cordis tui est portus securissimus, quem nulla ventorum conturbatio turbare potest. Ibi requies, quæ nulla ventorum vel fluminum comminatione inquietari potest: ibi deliciae delicatæ, nec fastidium generantes, nec defectum alicuius patientes: ibi pax pacatissima, quæ nulla vnquam poterit dissensione discindi: ibi gaudium, quod nulla vnquam poterit molestia variari: ibi felicitas felicissima: ibi dulcedo dulcissima, serenitas serenissima, beatitudo beatissima reperitur. Ibi fons, ibi princeps principalissimus omnis boni, ibi omnis sanctæ dilectionis & suauitatis origo primitiua.

Inde, id est, à corde tuo dulcissime Deus natus omnis felicitas, omnis dulcedo, omnis serenitas, omnis securitas, omnis quies, omnis voluptas, omnis pax, omne gaudium, omnis delectatio, omnis suauitas, omnis beatitudo, omne bonum tanquam à fonte principalissimo & præcipuo, & inexhausto: in corda tam filiorum Dei, id est, Angelorum, quam filiorum hominum diriuatur. Quale etenim bonum, vel qualiter bonum esse posset, quod non esset à bono? à te verò bono? summo bono? solo bono?

O quam bonum haurire in hoc fonte bono omne bonum, quam bonum bibere & inebriari de hoc fonte dulcissimæ & sanctissimæ voluptatis tuæ, qui emittit tanquam torrentem fortissimum à se omnem sanctam voluptatem. Felix, felicitior & felicissimus odor aromaticus suauissimorum vnguentorum, id est, virtutum tuarum in te redoletium, qui ad hoc altare, ad hoc sanctuarium cordis tui se siti- entes inuitat, inuitatos trahit, tractos perducit, perductos non decipit, sed reficit, ita vt nunquam vltra deficiant, sed requiescât à laboribus suis in requie cordis tui.

Fluant igitur iam nunc aromata tua, id est, dulcedo virtutum tuarum à te beato deliciarum, verò & præcipuo paradiso. fluant: inquam, & resiliant naribus animæ, vt delectatione tua tracta, ô sole delectabilis, trahatur extra se, trahatur intra te: ibi moretur, ibi moriatur sibi, vt viuat tibi: ibi iam præsentialiter te agnoscat, quem longe posita, ex oris tui flagrantia aliquantulum recognouit, vt ore tuo concupiscibili concupiscencias in ea sanctas & sempiternas generes.

Et quid mirum, si tam mirus, si tam concupiscibilis, si tam suauissimus sit odor tuus ô horte deliciose, ô florifer paradise, in quo omnium nobilissimorum aromatum simul & florum genera pullulant indefinenter, scilicet rosa charitatis immensæ, liliu castitatis purissimæ, viola humilitatis excelsæ, balsamus incorruptionis, & cætera innumera, quæ explicari non possunt?

Dedit odorem suum rosa charitatis tuæ, & innotuit vniverso mundo, quantum dilexeris mundum: & ecce currit totus mundus mandarum animarum in odore huius rosæ, in dilectione dilectionis tuæ, in amore amoris tui, in charitate charitatis tuæ, & non metuant propter te intingere pedem suum in sanguine, & tollere cruce tuam, & sequi te, donec te ducente in sancta sanctorum, in sanctuarium quod firmauerunt manus tuæ perueniant, vbi tu regnas, & regis eos, in æternum. Spirauit odor lilij castitatis tuæ, in me & adhuc spirat, & trahit in odorem eius currentes adolesemulas virgunculas teneras, quæ propter amorem castitatis, regnum mundi & omnem ornatum seculi contemnunt, & muliebri infirmitate seposita, currunt viriliter difficiles, capiteq; draconis insidiantes earum calcaneo, conculcant conteruntq; viriliter, & minas euadentes tyranni sacrilegi, carnis spurcicias immaculato calle pertranseunt, donec veniant ad te liliu suum, quem amant, quem quarunt, quem totis desiderijs incessanter adoptant.

Fragra-

Apoc. 4  
Cant. 4

Luc. 9.

Psal. 78.

Cant. 1.

Gen. 3.



Fragrant & fragrat odor fortissimus violæ humilitatis tuæ, & non solum celo-  
 los & terras, sed & inferos penetrauit, quos per crucis tuæ humilitatem expugna-  
 si, senserunt odoris tui fragrantiam, & sequuntur te vbique terrarum sancti &  
 humiles corda, qui reiectis oneribus terrenorum honorum, & superbarum diui-  
 tiarum pompis, humili corde, humili gestu, humili habitu te ducem humilitatis  
 sequuntur, sese in presenti humiliant, vt secundum sententiam tuam, in futuro  
 mereantur exaltari. Apoç. 14.  
Luc. 14.

Nec minus & balsamus immortalitatis tuæ saum longe lateq; diffudit odorem,  
 & odorati sunt omnes populi legi mortis subiecti, tuq; immortalitatis odore de-  
 lectati, seseq; in beata sperantes immortalitate tecum victuros, non timent pro te  
 mortem subire, credentes firmissimè, quod sicut tu dulcissime Iesu Christe resur-  
 gens à mortuis iam ultra non moreris, & mors tibi ultra non dominabitur, te ha-  
 bitante dominatum vitæ & mortis, ita & ipsi per receptionem corporum immor-  
 talitatis ultra non morientur, sed tecum, & in te, & propter te viuent & reficien-  
 tur tunc plenissimè & iucundissimè odoris tui fragrantia sempiterna, mortem  
 omnem excludente, & vitam perpetuam conferente. Rom. 6

*Vti amans anima beatorum æternam felicitatem contempletur,  
 Deumq; laudat, illiq; coniungi summoperè anhelat.*

## CAPVT XXVIII.

**A**ppropinquabunt omnes electi tui & Deus tunc immortales effecti tibi regi  
 sæculorum inuisibili, immortalis, sicut Deus, & in amplexus tuos ruent: cir-  
 cundabunt te vnus charitatis suæ, & trahent te ad se: sed & tu ligabis eos bra-  
 chijs charitatis diuinæ, & fortitudine eius trahes eos in te, & osculaberis eos oscu-  
 lo oris tui, & introduces eos in cellam vinariam, vbi reposita sunt illa vina multi-  
 plicia, id est, multæ sanctorum animæ expressa & reliquata & separata ab acinis cor-  
 porum suorum per torcular per diuersarum passionum, quæ vina tu ipse serenissime  
 pater familias bibis in iucunditate & in læticia cordis tui, id est, illorum affectus ita  
 omninò in te cõmutas, vt nihil desiderent nisi te, nihil fiant nisi te, & tamè omnia  
 sciant in te. Propinas etiam hæc vina bibenda omnibus charissimis tuis, cum illos  
 sibi inuicem tanta charitate connectis, vt iam non plures, sed verè vnum dici pos-  
 sit, habentes cor vnum & animam vnã, ita vt quilibet de gaudio & honore alterius  
 tanquam de suo gaudeat, & quilibet tot habeat læticias singulares, quot socios in  
 tuo regno sibi cognouerit sociari. Bibuntur hæc vina in læticia cordis iustorum,  
 dum ipsi de eorum glorificatione gaudium mutuum generatur, sed longè melius,  
 iucundius, sapidius, clarius & fortius est vinum illud, id est, iucunditas illa, quæ de  
 te hauritur, de te & tecum bibitur & vitis vera, vitis fructifera, vinum semper no-  
 uum de te emittens, & propinans charissimis tuis, quibus disposuisti, sicut dispo-  
 suit tibi pater tuus regnum æternum, vt edant & bibant super mensam tuam in  
 regno tuo. Quid edant & quid bibant, nisi te? Quasi nihilum esset, quicquid esset  
 aliud quam tu, quicquid non esses tu. Tit. 1.  
Cant. 1.  
Aç. 4.  
Ioa. 19.  
Luc. 22.

Comedent ergo felicissimi & iucundissimi conuiuæ illi triplex ferculum in  
 vase vno, dum trinitatem personarum agnoscent in vnitæ substantiæ. Edent, in-  
 quam, cibum illum mirabiliter reficientem, facientem semper, & tamen adhuc  
 desiderium accendentem. Habebitur enim semper quod desideratur, & desiderabi-